Quelle: https://manuscripta.at/?ID=128
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

esse animal nisi homo vel tale aliquid fuerit quod animatum esse proponitur. Tunc enim quod animatum est animal esse necesse est. homo namque vel quodlibet aliud tale animal. Per singulas igitur propositiones eundem est et spectanda est earum singularis natura habitudinum.

Prima propositio per quod enuntiatur. si a. est cum sit b. esse c. talis esse debet. ut b. quidem possit esse et praeterea. Si tamen a. fuerit b. non esse non possit. Rursus idem b. terminus possit esse et cum non est c. nec sit necesse ut b. posito sit et c. Sed dicit tantum esse est c. quando b. terminus a. terminum sequitur. ut si sit a. homo. b. animatum. c. animal. animatum enim et praeter hominem est et praeter animal esse potest. Si vero sit homo animatum esse necesse est. et cum animatum essentiam hominis consequitur. consequitur ut ipsum animatum sit animal. Item secunda propositio que ait si est a cum sit b. non est c. huiusmodi esse oportebit. ut b. quidem praeter a esse possit. Sed cum fuerit a. necesse sit esse et b. at vero c. tale sit ut simul quidem cum a. esse non possit cum b. vero esse possit. Sed tantum cum b. esse non possit. quando b. terminus a. terminum sequitur. Ut si sit a. homo. b. animatum. c. insensibile. namque animatum praeter hominem esse potest. at si homo sit ut sit animatum necesse est. Insensibile vero potest esse animatum. sed tamen insensibile et animatum non conveniunt. cum idcirco est animatum quia homo praedictus est. Tertia vero propositio a. quidem terminum debet habere qui numquam simul esse possit cum b. termino. c. vero terminum talem esse oportebit ut possit quidem esse vel non esse si non fuerit b. Sed tunc tantum necesse sit. si b. terminus non sit. esse c. terminum. Si idcirco non est b. quoniam terminus a. esse praedictus est. Ut si sit a. homo. b. inanimatum. c. sensibile. Nam si est homo non est inanimatum. Sensibile vero potest simul esse vel non esse. cum inanimatum non sit. Possunt enim esse quedam que nec inanimata sint nec sensibilia ut arbores. Idem cum sensibile necesse est esse. cum non sit inanimatum si idcirco inanimatum non est. quia homo esse praedictus est. Rursus iiii. propositio huius debet esse proprietatis. ut b. quidem terminus nullo modo esse possit si fuerit a. At vero c. esse possit si non fuerit b. Sed tantum c. cum non fuerit b. non esse necesse sit. si b. terminus non sit. quia prius a. terminus esse propositus est. Ut si sit a. homo. b. inanimatum. c. insensibile. Inanimatum enim non erit. si fuerit homo. insensibile vero potest esse et non esse. si non sit inanimatum. Sed tamen insensibile non esse non necesse est. cum inanimatum non sit non idcirco animatum non est quia homo esse praedictus est.

Quinta quoque propositio tales terminos habere debet. ut si a. quidem non sit necesse sit esse b. Sed b. terminus sit. et esse possit. et possit non esse. Sed tamen c. esse necesse sit cum fuerit b. idcirco est b. quia a. terminus esse negatus est. Ut si sit a.